



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Contr. II. An sine Fide strictè dicta, fiat aliquod opus supernaturale &
meritorium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

verum etiam ex alio capite : tum quia (vt putat se alibi probasse) potest quis ex apprehensione solius Mysterij elicere actum meritorium : tum quia potest quis justificari quin fides stricta fuerit libera (vt etiam putat se probasse , sed nos vtrumque negamus) tum denique , quia Concilium Tridentinum præter fidem requirit etiam alias dispositiones , quæ tamen non semper , sed tantum regulariter interveniunt in Justificatione , vt , timorem penæ , spem veniæ &c. Sed contra est , quia Tridentinum postmodum intelligi vult S. Paulum de Fide , quando simpliciter & absolute pronuntiat , sine Fide esse impossibile placere Deo.

388. Obijci potest primò illud ad Rom. 2. *Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum , sed factores legis iustificabuntur . cum enim gentes quæ legem non habent , naturaliter ea quæ legis sunt faciunt , ipsi sibi sunt lex , &c.* ergo S. Paulus agnovit , posse aliquem justificari sine cognitione Mysteriorum fidei per revelationem , & per solam cognitionem eorum quæ lumine naturali cognosci possunt. 2. Duplitter. Primò plurimi hunc locum intelligunt de operibus naturalibus , non quòd quis per illa iustificetur aut possit justificari , nec hoc voluit S. Paulus , sed solum , quòd Gentes non habentes legem scriptam , habeant tamen legem naturalem in cordibus , contra quam agentes peccant. 2. Respondent alij cum S. Augustino , Sermonem ibi esse de Gentibus ad fidem conversis , quæ naturaliter bene operabantur , sumendo rō Naturaliter non prout excludit fidem , sed prout excludit legem scriptam , quæ Iudæi tantopere gloriabantur.

389. Obijcies 2. Ergo aliquis apud Gentiles educatus , nec habens Evangelij prædicatorem , etiam si Legem Naturæ per cognitiones naturales servet , & nunquam mortaliter peccet , non poterit tamen salvari , ex defectu fidei , tanquam Medij necessarij. 2. per tradita lib. præced. de Gratia , talem Gentilem aliquandiu servan- tem legem naturæ , à Deo etiam extraordinario modo , si opus fuerit , adductum iri ad fidem , vt ibidem ostensum est.

390. Obijc. 3. Post secundam hominis elevationem , omnis amor Dei super omnia iustificat , & quoties talis datur , ille semper est supernaturalis , quia Deus non concurrat ad actum naturalem , quando circa illud ipsum objectum potest actus supernaturalis versari , conducent directè & vt meritum ad salutem. Atqui Gentilis potest etiam sine fide strictè dicta cognoscere Deum vt amabilem super omnia : ergo poterit illum etiam vt talem amare , & quidem actu supernaturali , procedente ex cognitione supernaturali , quamvis in modo representandi & tendendi essent actus simillimi illis , quos homo haberet in statu puræ naturæ. Hoc argumento P. Ripalda vehementer trahitur in oppositam sententiam.

391. Responderi potest duobus modis. Primò cum Card. de Lugo , qui fatetur n. 41. se ob-

jectionis difficultatem agnoscere , cui tamen respondendum non sit , ob allata Scripturarum Testimo- nia. Respondet ergo , defecto Naturæ homo nam ex peccato originali adeo ad seipsum & proprium commodum conversam esse , vt licet philosophicè loquendo possit amare Deum super omnia et cognitione Dei , prout naturaliter , & sine fide cognosci potest , moraliter tamen illum repetendi modum non sufficere : ideo , inquit , dici solet , naturam insinuare quidem amorem Dei , non tamen perficere , quod satis apparet , considerando quàm parum tota philosophia & omnes sectatores , seculi fidei , in hoc amore excellunt , & quomodo nullus illorum dilexerit Deum super omnia , in quo sensu dixit S. Augustinus Ep. 107. nos liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidisse. Requirit ergo fides , proponens altiore modo amabilitatem Dei , & amoris vincula , quibus Deus ad se trahit & allicit magis , quàm commoda temporalia quicunque.

392. Responderi potest 2. Deum non consumplisse quemcunque actum amoris sui ad iustificandum extra Sacramentum , sed amorem cum amamus Deum vt nostrum amicum , certissimè per totam aternitatem possidendum , nisi ab inimicitia recedamus : talis autem amor præsupponit fidem de beatitudine supernaturali , vt patet , nam lumine naturæ ea innotescere non possunt. Hæc responsio magis infra declarabitur.

393. Replicabis. Saltem potest aliquis elicere actum attritionis , ex motivo honestatis prout naturaliter cognosci potest , & cum talis actus quoad substantiam supernaturali , suscipere Sacramentum & justificari. 2. Attritionem quæ Deo requiritur vt dispositio cum Sacramentum , debere procedere ex Fide strictè dicta , quia debet esse conjuncta cum Spe indulgentiæ , vt habet Trident. s. 14. c. 4. Spes autem veniæ supponit fidem de placabilitate Dei , cum naturali lumine non possit Deus certò cognosci placabilis pro peccato naturali.

CONTROVERSIA II.

An sine Fide strictè dicta fiat aliquod opus Supernaturale & Meritorium.

394. **A**ffirmat Ripalda , conaturque in sententiam trahere omnes illos auctores qui in materia de Gratia tenent , opera Gentilium honesta procedere ex gratia Theologica , & per Christum , & aliquo modo conducere ad salutem , qui vnà cum Ripalda sunt omnino quadraginta , vnde conqueritur , quòd hanc suam sententiam Lugo dixerit singularem. Verum id jure dicit Lugo. Nam , vt fatetur ipse Ripalda , omnes illi auctores negant illos Actus esse Entitativè Supernaturales. Nec verum est quòd opinatur Ripalda , supernaturalitatem illorum actuum deduci ex eorundem doctrina de Gratia , non enim

tenent illi DD. tales actus esse Meritorios præ-
mij supernaturalis, sed alio modo dicunt condu-
cere ad salutem, vt explicui in Tract. de Gratia.
Sententiam Ripaldæ aliquando probabilem judi-
caverat Lugo, sed postea re melius consideratâ
negavit.

395. Docet itaque Ripalda, in homine ad-
ultra toties dari actus supernaturales, tam in intel-
lectu quàm in voluntate, quoties proponitur aut
amatur aliquod objectum actui honesto & laudabi-
li, qui actus, licet in modo repræsentandi sint
per se similes actibus naturalibus, qui in pura
natura circa illa ipsa objecta producerentur, sunt
tamen defacto Entitative Supernaturales, quia
Deus ex Decreto elevationis concurret semper ad
actum supernaturalem. Porro talem cognitio-
nem, vt jam dixi, vocat Fidem latam.

396. Dicendum tamen est cum ceteris
Theologis, ad omne opus Meritorium Supernatu-
rale præcedere donum fidei strictè sumpta, re-
ducendo tamen ad hoc donum etiam illas illu-
minationes, quæ proximè movent ad volendum
credere, vel ad petendum donum fidei, quæ illu-
minationes habent intrinsecam relationem ad
ipsum actum Fidei principaliter intentum, & sic
ex intrinseco prædicato ordinant hominem ad vl-
timum Finem Supernaturalem, vnde defummen-
dum esse prædicatum primum Supernaturalitatis
Theologicæ, dixi in Contr. præm.

397. Probatur auctoritate SS. Patrum, re-
latorum tum à Suarez, tum à Lugone, quorum
verba si ponderentur, apparebit frivolum esse in-
terpretationem Ripaldæ, eos locutos esse de fide
latè sumpta, quam ausim dicere, SS. Patribus in
hoc puncto non venisse in mentem. S. Augu-
stinus lib. de Grat. & lib. arr. & lib. de Prædest. SS.
c. 7. ait, ideo Apostolum docere, iustificari homi-
nem ex fide, non autem ex operibus, non vt o-
pera excludat, sed quia opera iustitiæ sunt ex fide,
non ex operibus fides, & sic ab illo sunt opera Ju-
stitiæ, à quo est fides. Ideo, inquit, Apostolus do-
cet, iustificari hominem ex fide, quia illa prima datur
vnde imperentur cetera, quæ propriè opera nuncupan-
tur. Et iterum: lib. 83. qq. 76. & Ep. 105. Re-
stat igitur, vt ipsam fidem, vnde omnis iustitia sumit
initium, non humano tribuamus arbitrio, neque vllis
meritis, sed gratuitum Dei donum esse fateamur, si gra-
tiam veram, id est, sine meritis cogitamus, quoniam
tunc incipiunt bona quæcumque sunt merita: hoc au-
tem probat Augustinus ex illo ad Ephes. 2. Gratia
salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei
donum est, non ex operibus, vt ne quis gloriatur. Ecce
S. Paulus insinuat, dari quidem opera qua-
dam, quæ videri possint bona, sed tamen negat
ea esse meritoria quæ fidem præcedunt. Videat
Lugo totâ sect. 2. afferens & ponderans plura
contra responsiones P. Ripaldæ. Et sanè per se
clarum est, SS. PP. commendasse Fidem populo
in eum finem, vt conatentur opera sua dirigere se-
cundum fidei regulam, vtique altiore & firmio-
rem, quàm sint dictamina naturalia, & quæ non

sufficiunt ad elicienda opera meritoria. Quod si
Patres iudicassent, omnia opera honesta esse super-
naturalia & meritoria, determinante Deo ad super-
naturales actus potius quàm naturales, quorum
quæso hæc exhortationes & inculcationes fidei?

398. Obicit Ripalda 1. S. Augustinus se-
pè dixit, opera nostra, quæ non sunt ex fide, esse
peccata: atqui hoc non potest intelligi de fide
strictè sumpta, alioquin omnia opera gentilium,
etiam quæ sunt ex gratia per Christum, essent pec-
cata. Hoc argumentum ipsi Ripaldæ solvendum
est, qui cum vrgeretur à Lugone, quod SS. PP.
agnoscant in Gentilibus bona opera, quæ tamen
non sint meritoria, responderet id verum esse; sed
simul cum illis operibus naturalibus elici etiam
actum supernaturalem, sicut & datur duplex co-
gnitio naturalis & supernaturalis. Quæro ex Ri-
paldæ, an illa bona opera naturalia sint peccata?
non vtique: atqui non sunt ex fide ne quidem la-
tè sumpta, ergo non omne opus, quod non est
ex fide, est peccatum. Respondeo ergo, illud
Apostoli: *Quidquid non est ex fide, peccatum est*,
fuisse quidem à S. Augustino intellectum de fide
strictè sumpta, sed hoc sensu, quod omne opus e-
tiam Gentilium, non habentium fidem, sit pecca-
tum, si non sit à parte rei conforme fidei, hoc est,
si tale sit, quod à fide reproberetur, quia quod à fi-
de non approbatur, est etiam contra dictamen na-
turale, esto fides in operante non existat: suffi-
cit enim, quod in illo existat lumen naturæ cui
fides ad stipulatur. Simili ferè modo responderet
ad hanc ipsam objectionem P. Cornelius à Lapide
in illum Apostoli locum ad Rom. 14. 23. qui post-
quam notasset, ab Apostolo per Fidem intelligi di-
ctamen conscientiæ, fatetur deinde, S. Augusti-
num, Prosperum, ac Bernardum intellexisse illum
locum de fide strictè dicta. cùmque sibi objecisset:
ergo secundum hos PP. opera gentilium sunt pec-
cata: responderet, illos intellexisse rō non ex fide
pro: ex infidelitate, vel quod est contra fidem,
& quod sit ad cultum idoli. Et quia S. Augusti-
nus putabat pleraque opera ab infidelibus fieri hoc
fine, scilicet ad colendum idolum, hinc conse-
quenter pleraque eorum opera putavit esse pecca-
ta. Denique addit Cornelius, PP. locutos esse
per auxilin.

399. Obicit Ripalda 2. Si Fides deberet
sumi pro fide stricta, tunc etiam quando SS. PP.
requirunt ad Meritum Charitatem, deberent intel-
ligi de Charitate Theologica & perfecta: atqui
SS. PP. ad omne meritum requirunt Charitatem,
& tamen hoc non est verum de Charitate perfecta:
ergo sicut SS. PP. intelligendi sunt de Charitate
latà, poterunt etiam intelligi de Fide latà. R. 1.
Hoc argumentum nimium probare, scilicet quod
PP. requirentes Fidem ad Justificationem, etiam
possent intelligi de Fide latà, nam eodem modo
requirunt Fidem ad Meritum & ad Justificationem:
& tamen ipse Ripalda non aude hoc asserere, vt vi-
dimus præced. Controv. ergo debemus aliter in-
telligere de Charitate, ac de Fide. R. 2. Discrimen

men esse, quod communi & recepto loquendi modo etiam ille dicatur exercere Charitatem adversus alterum, & illi velle bonum, qui vult aliquid videns esse alteri bonum, esto illum non habeat pro fine C VI. dummodo non dicat: se perinde voluturum esse, si esset malum illius illique displiceret. Jam ergo, qui bene operatur Meritorie, semper attendit ut regulam, Dei Beneplacitum (ut in 2. lib. declaratum est) & sic dicitur amare Deum latius loquendo, licet non habeat Deum pro Fine C VI, ut etiam lib. 3. tr. de Merito dictum est.

400. Objicit Ripalda 3. Cornelium Centurionem, qui priusquam à Petro fidem edoctus esset, faciebat opera meritoria, unde ab Angelo audit: Orationes tuas, & elemosynas tuas ascenderunt in conspectu Dei. Porro in Cornelio nullam fuisse fidem strictè dictam conatur probare ex S. Hieronymo, asserente, Cornelium ignorasse legem Judaicam. R. 1. hoc argumentum iterum solvendum esse ipsi Ripaldæ, nam S. Hieronymus loco illo, nempe in cap. 3. ad Galat. asserit, in Cornelio fuisse fidem talem, per quam Abraham & Moyses, & ceteri Sancti ante legem Scriptam Iustificati sunt: ergo habuit fidem sufficientem ad Iustificationem: atqui hæc est fides stricta, ut fatetur Ripalda. Ergo S. Hieronymus nihil juvat causam Ripaldæ. R. 2. Cornelium habuisse fidem strictam Dei remuneratoris, sicut habuit Job & alij: immò S. Augustinus lib. 1. ad Simplician. q. 2. dicit: Nullo modo ista operaretur (orationem & elemosynam) nisi vel secretis per visam mentis aut Spiritus admonitionibus vocaretur. Ecce! motivum fidei strictè dictæ. Adde, Cornelium non ignorasse doctrinam & acta Christi Domini, ut constat ex verbis S. Petri ad domesticos Centurionis: Vos scitis quod factum est Verbum per universam Judeam &c. indeque motum orasse Deum pro ulteriore instructione, & hæc erat oratio fidei, quæ pertinet ad fidem strictè dictam, ut jam supra diximus.

CONTROVERSIA III.

Quo sensu Fides Dei ut Remuneratoris, sit necessaria necessitate Medij.

401. Consentiant Theologi eam aliquo modo esse Necessariam Necessitate Medij, ob Testimonium S. Pauli ad Hebr. 11. dicentis: Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & inquirentibus se remunerator sit. Verum in assignando Gradu hujus necessitatis, item in assignanda Radice seu causa hujus necessitatis, ac denique in illius extensione, magna est inter illos dissensio.

Prima sententia docet, hanc necessitatem fundari vnicè in libero Dei arbitrio, nolentis aliter iustificare, quàm præcedente tali fide. Ita quidam RR. apud Lugo, quibus ad stipulati videntur Hurtadus.

Secunda sententia est, hanc fidem esse necessariam necessitate physica antecedente, hoc est, ex Natura rei, seu ex natura actus illius, qui est ultima dispositio ad Iustificationem: v. g. ex natura Amoris seu Contritionis extra Sacramentum, & ex natura illorum actuum, qui sufficientiam faciunt Sacramento. Ita habet communior sententia.

Tertia sententia docet, esse tantum necessitatem moralem, propter summam difficultatem eliciendi Amorem Dei super omnia, nisi aliter tur homo cognitione Dei ut Remuneratoris, quæ non potest haberi sine Fide. Ita Lugo.

Quarta sententia docet, ne quidem esse necessitatem moralem, quæ univèrsam & semper interveniat, sed tantum Regulariter esse necessitatem, hoc est, ad iustificationem regulariter & communi modo obtinendam, quatenus communiter homines solent ita per Gradus procedere ad actum imperfectioribus ad perfectiores; & de hac habet necessitatem esse intelligendum S. Paulum, cum de solis infidelibus primò ad fidem accedentibus, non verò de Fidelibus, quos sepe sine hac fide iustificari vult hæc sententia, quæ est Ripaldæ, & magnà ex parte Arriagæ.

402. In hac opinandi diversitate mihi forte per magis arrisit sententia secunda, quia communis, quia magis conformis verbis S. Pauli, & quia sententia fundat se in argumentis metrogativis, divinando possibiles actus iustificationis, in S. Scriptura non fundatos, & ideo nec ad iustificationem aut praxin servit, nec habet aliquam utilitatem Metaphysicam, multò minus Theologicam. Primum & Tertium membrum non habet quæ probatione. Secundum membrum probatur à Paulo videtur equali necessitate requirere fidem Dei existentis seu Loquentis & Remunerantis, quia vno contextu de utraque loquitur: atqui prior est necessaria necessitate physica & antecedente: ergo & posterior.

403. Confirmatur. Quia S. Paulus videtur voluisse declarare, quidnam ex parte objecti representari debeat voluntati, ad hoc ut possit accedere ad Deum per illos actus voluntatis, qui requiruntur ad iustificationem: ergo videtur voluisse indicare, illud ipsum objectum esse tale, ut attingi debeat per actus justificativos: atqui cognitio hæc est physice necessaria ad actum voluntatis, quia nihil volitum nisi præcognitum. Ergo &c. Itaque, sicut si quis diceret mihi: Volentem amplecti sententiam aliquam, oportet cognoscere fundamenta illius; vel: volentem amplecti sententiam Religiosam, oportet cognoscere naturam illam, talinquam utique declararet necessitatem physicam cognitionis prærequisitam, ita S. Paulus videtur voluisse declarare, quid ex parte objecti sit necesse cognosci, ut possit homo peccator accedere ad Deum per illos voluntatis actus, qui sunt necessarij ad iustificationem. Ratio autem fundamentalis esse videtur, quia Revelatio Finis visum, ad quem debent ordinari actus supernaturales & gratiæ prævenientes, videtur esse fundamentum.